KNY-18-00392

TENTAMEN PVBLICVM EX AESTHETICA

SIVE

THEORIA, ET BONO GVSTV SCIENTIARVM, ET ARTIVM PVLCHERRIMARVM

QVOD

EX PRAELECTIONIBVS

AD. REV. AC CLARISSIMI D.

GEORGII SZERDAHELYI

AA. LL. & Philoſophiae Doct. Aeſthetices, & Eloquentiae Profanae Profeſſ. publ. Ordin. Reg.

ſubibit

NOBILIS, AC PERDOCTVS DOMINVS

EMERICVS FEKETE

Amaenioris Litteraturae Repetens in annum alterum.

Menſe Auguſto *Anni MDCCLXXVI.*

TYPIS TIRNAVIENSIBVS

ANNO VT SVPRA.

KNY-18-00392

BIBL. UNIVERSITATIS BUDAPEST EGYETEMI KÖNYVTÁR

DE
AESTHETICA
GENERALI.

Gustus est facultas sentiendi, quod est Pulchrum, ac ipsius pulchritudinis limites, & gradus per veram sensuum, iudiciique vim discernendi. Haec tam vniuersalis est hominum facultas, quam intellectus, aut sensus moralis; sed cognitione debet coli, & acui. Scientia, quae veram pulchri cognitionem procurat, est doctrina Gustus, siue Aesthetica ab αἰσθάνομαι sentio dicta, Philosophiae pars; cuius obiectum, & materia cum sit Pulchrum, Scientia haec cum omnibus suis partibus est pulcherrima, elegantissima. An scientia hæc noua, vel antiqua? vnde orta, quomodo differt a veteribus? quae diuisio Aesthetices, & qui primi illius cultores? exigit singularem Genium; & quid Genius, & quae illius subsidia? viuacem spiri-

tum, velox ingenium, vaſtam mentem, Archaeologiam, pulchram Encyclopaediam.

Idea Pulchri non eſt nobis ingenita; imo quid ſit Pulchrum, difficillima ſemper inter philoſophos erat quaeſtio, & quibus de cauſſis? Hoc certum habetur: quod pulchrum eſt, ſenſibiliter placet, & delectat, ſi quo modo cognoſcatur. Iſtud & experientia docet, & ſenſus communis. Cur autem placet? ſed non omne, quod placet, eſt pulchrum: puchritudo ſine reſpectu vtilitatis delectat. Complacentia iſta obtinetur tam per ſenſus interiores, quam externos; omnis autem pulchritudo per eam rerum varietatem, & conformitatem placet, quae habet aptam vnionem partium. Propterea Pulchritudinem reponimus in varietate recte, feliciterque vnita, & ſenſibiliter propoſita. Rebus ſenſu praeditis plus varietatis conuenit, inanimis plus ordinis, & conformitatis.

Pulchritudo quoad omnes ſui partes multis ex capitibus oritur. Varietas eſt primum pulchri fundamentum, & quam ob cauſſam? Componitur autem ex Copia rerum, & Diſparitate partium. Copia alia eſt obiectiua, ſeu rerum, alia ſubiectiua perſonarum; haec eſt vena, & vbertas ingenii; illa naſcitur ex Topicis, quorum aliqua ſunt vniuerſalia, alia particularia; ſed maxime comparatur per Diſtributionem rerum, per Imagines, Similitudi-

nes,

nes, Allegorias, Cauſſas, Comparationes. Copia ingenii, & mentis cum non cuique ſit eadem, quisque ſuam prius exploret, quam materiam deligat. Diſparitas ex Diſſimilitudine, & Contrariis conſurgit, habeturque in characteribus, actionibus, & poſitionibus. Diſparitati Vniformitas, Copiae opponitur Paupertas. Tametſi autem magna ſit & rerum, & perſonarum vbertas, eaque diuerſa, non tamen continuo aderit illa varietas, quae ad pulchrum neceſſaria eſt. Varietas illa nec manca ſit, nec luxuriet; Parſimoniam exigit, & rotundam Breuitatem.

Vnio fundatur in Veritate Aeſthetica, aut Veriſimilitudine; hoc in fundamento conformitatem, & vnionem varietatis facit Ordo partium, Proportio, Congruentia, Harmonia, ſeu conſonantia, Decorum; & quo felicius conuenit multiplex rerum varietas, tanto maior eſt Gratia, aut Dignitas; fitque Pulchritudo magis ſincera, ingenua, & natiua.

Senſus, & cognitio pulchri habetur a luce, & viuacitate. Lucem, peſpicuitatem, & ſenſum maiorem, multa ſunt, quae rebus addant; praecipue id, quod eſt Magnum, Sublime, Nouum, Mirabile, Singulare, ſeu humor, Ridiculum, Figurae quaedam, & Argumenta, vt vocamus, illuſtrantia; haec omnia totidem quaſi colores ſunt. Viuacitatem potiſſimum facit παθος, hic vita eſt Aeſthetica.

Alii affectus ſunt lenes, alii vehementes. Lex hic vniuerſalis eſt, vt vox, & ſigna affectuum ſint rei, animoque conuenientia; expreſſio vehementioris cuiuspiam affectus non ſit artificioſa, male morata, aut nauſeoſa. Si his, aliisque ex capitibus fortior ſit rei pulchrae ſenſibilitas, Illuſionem ſequi neceſſe eſt.

Hi ſunt praecipui pulchritudinis fontes, breuiter quidem, & ſicce indicati, ſed immenſa doctrinae, rerumque abundantia pleni; inde omnis pulchritudo deducitur in res, quae ſunt, & eſſe poſſunt. Idcirco alia eſt Pulchritudo naturalis, alia artificialis; alia eſt in corpore, alia expers eſt corporis; & ſic porro. Aliquando etiam Negligentia eſt pulchra, & Silentium diſertum.

Pulchritudinis omnis exemplum, & imago eſt Natura, non ea tantum, quae eſt, ſed magis illa, quam nos ex collectis plurium rerum dotibus mente, & ſpiritu noſtro creatore facimus, vt eſſe debet, & dicimus Naturam Pulchram, moratam, & ſublimem. Ad vtramque per imitationem tendit Poeſis, Oratoria, Muſica, Pictura, Statuaria, Saltatoria, Architectura, Ars Hortenſis, quae proinde ſunt vel Scientiae, vel Artes pulchræ, totidemque partes Aeſthetices, cujus illae praecepta, & theoriam vniuerſalem ſequuntur. Quo iure & quomodo artes iſtae in numerum amaeniorum referendae; & an praeter has ſunt etiam

aliae,

aliae, quae ad titulum Pulchri vocari mereantur, & debeant? vnde ſunt ortae ſcientiae, & artes noſtrae? quam legem debent ſervare in imitando, quae vitia cauere?

Omnes iſtae Scientiae, & Artes habent quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur; idem enim obiectum reſpiciunt, per idem principium, & in eundem finem tendunt, iis tantum ſignis differunt, quibus pulchrum repraeſentant. Scientiae amaeniores, quales ſunt Poetica & Oratoria vtuntur ſignis arbitrariis; Artes autem talibus, quae vel ad viſum, vel ad auditum referuntur. Auditum afficit Muſica per ſoni varietatem; ſigna viſibilia ſi habeant motum, conueniunt Saltatoriae, & Gymnaſtice; ſi vero quietam corporis poſitionem exhibeant, pertinent ad Artes, quae formantes appellantur. Poſitiones aliae fiunt in corporibus ſolidis; & hoc facit Statuaria, quaeue huic affines ſunt artes; aliae in planis, vti Pictura, & Chalcographia. Omnes iſtas artes dirigit Aeſthetica, non quidem ſecundum principia mechanica, ſed tam ſecundum vniuerſalem illam, quam omnibus ſcientiis, & artibus bellis praeſcribit, theoriam, quam ſecundum ſuam hiſtoriam, & effectus. Poteſt quis eſſe Aeſtheticus, quin idem ſit artifex; hic enim elaborat artificium, ille judicat; uterque ex iisdem Boni Guſtus principiis agit.

Quamuis ſingulae pulcherrimarum Artium & limites ſuos, & ſigna propria habeant, ſaepe tamen inter ſe aliquae conueniunt, vt collatis ſtudiis, & operis pulchritudinem magis venuſtam faciant, animosque noſtros pluribus ex partibus afficiant. Quibus exemplis oſtendi poteſt haec earum conuenientia? ſed magnae artis eſt hanc concordiam facere; quia natura pulchri eſt nimium eſſe ſenſibilem, & delicatum. Quae artes conueniunt facilius, vbi, quando? quae hanc in rem generalis regula?

Aeſthetices vniuerſae finis proximus eſt, vt delectet; hoc illa facit per ſuas artes, quae ſiue rem proponant natura ſua amaenam, ſiue triſtem, & horridam, delectant, & cur? Delectatio iſta & animi eſt, & ſenſuum, ſed innocens honeſta, & homine digna. In hac tamen non conquieſcunt artes noſtrae, ſed delectando docent, cor & animum excolunt, mores efformant: Artibus his pectora molleſcunt, aſperitasque fugit; ad virtutem excitant, vt quam oſtendunt, turpitudinem auerſemur, & per ipſarum pulchritudinem ad Bonum, omnisque Boni, & Puchri authorem adſcendamus. Paucis: Aeſthetica hominem facit pulchrum, & magis hominem. Quid mens pulchra, ſpiritus, & homo pulcher? propterea omni hominum generi ad communem vitae ſocietatem aut vtilis, aut neceſſaria; nobilitati autem maxime conuenit.

Tota

Tota Aeſtheticae vis, & intentio eſt formare Bonum Guſtum; iſte regit genium, & arbiter eſt pulchri. Habet autem ſuos gradus: delicatus minimam quamque pulchritudinem, & vitium illico perſentiſcit; nobili guſtui nihil placet, niſi quod pulchrum eſt, & decet; perfectiſſimus ille eſt, qui pulchrum, & bonum cum turpi, & malo nunquam commutat, ac inter pulchritudines eam ſeligit, quae eſt optima. In formando bono guſtu, colendisque diſciplinis, & artibus Aeſtheticis merito plurimum operae ponunt hac aetate cultiores Europae gentes, & inde honorem, aeſtimationemque ferunt. Ad hanc nobis quoque tendendum, & in augendo pulcherrimarum ſcientiarum, & artium guſtu conſeneſcendum eſſet.

DE AESTHETICA PARTICVLARI.

POESIS.

Poeſis eſt imitatio naturae pulchrae; quod fit vel agendo, vel narrando, vel utroque modo. Finis eius delectare, & mouere. Enthuſiaſmus, fictio, & verſificatio ſubſidia duntaxat

xat ſunt ad perfecte imitandum. Poeta non eſt, niſi ingenium cui ſit, cui mens diuinior, atque os magna ſonaturum. Errant, qui Poeſi nullum cum veritate, & honeſtate commercium eſſe putant. Poema omne ſit ut pictura: habeat ſuam fabulam, characteres, & dictionem propriam. Poeſis tota optime diuiditur in Narratiuam, Dramaticam, Lyricam, & Didacticam; ſape tamen inter ſe conueniunt.

Poeta, vt Hiſtoricus, ſed Muſis, & Apolline plenus narrat Fabulas Aeſopicas, Romanenſes, Luſus Allegoricos, Metamorphoſes, Paſtoralia, & Epos. In Aeſopicis praecipui ſunt Phaedrus, Desbillons, La Fontaine, Gellert, Hagedorn, Lichtwer, & Holberg. Romanenſis eſt euentuum inopinatorum hiſtoria, quae poſt multa heroum pericula, poſt varios fortunae luſus, artis, & induſtriae experimenta, amoris, vel odii viciſſitudines laeto potiſſimum exitu terminatur. Quis eius ſcopus, origo quoad nomen, & rem? ſemper ſuos habet & hoſtes, & patronos; ſaepe utrinque peccatur. Dum abſit omnis impietas, omnis remoueatur a verbis, & ſententiis turpitudo, certa quaedam moderatio accedat & ſcribentium, & legentium, iſtis acui ingenium poſſe cenſeo, linguam ali, & excoli mores ad aliquam partem humanitatis, ciuilemque congreſſum, & conſuetudinem vitae politioris informari. Fenelonii Telemachus, Marmontelii Beliſarius, & forte etiam Heliodori Aethiopica,

ca, Barclaii Argenis praeguſtum poſſunt facere Metamorphoſis illa iam veteribus placuit, quae homines mutauit in formas alias; hoc in genere Ouidius eſt, in quo aliqui totam Phyſicam, & Ethicam inueniſſe ſe putant. Inter recentiores Petrus Schez non inelegantes Hungariae Metamorphoſes dedit. Nouae Metamorphoſis princeps eſſe vult Holbergius in Dania, quod arbores, & beſtias in homines conuerterit. Poeſis paſtoralis eam ruſticorum vitam proponit, quae eſt aetate ſincera, & aurea. Talem videmus in Idylliis Theocriti; adeo candidus, ſimplex, & amabilis eſt. Moſchus minus negligentiae habet, ideo magis abeſt a natura rei, ſed tamen gratioſus. Bion horum ornatiſſimus. Virgilius totus eſt imitando Theocrito, eum tamen non exprimit. Merito quaeritur, an non diſceſſerit a veroſimili, dum res quasdam miſcet, quae maiorem eruditionem, & altiorem Ecloga ſenſum habent? Emortuam hanc poeſim Itali ſuſcitarunt, ſed nouum illi characterem addunt. Segrais apud Gallos optimus eſt Bucolicus, in Germania Geſner, in Hungaria Faludi. In Epopaeia illuſtres heroum actiones narrantur. Vnus hic eſt heros, vna actio, eaque integra, vera, aut veroſimilis, illuſtris & felix. Habet actio ſuam fabulam, fabula ſuas dotes; res tota certamina varia, caſus, prodigia, viciſſitudines, digreſſiones; multiplicandae machinationes, variandi affectus, occurrendum ſatietati. Epicorum princeps eſt Homerus, male arguitur

tur errorum variorum. Hunc nemo in magnis ſublimitate, in paruis proprietate ſuperauit; idem laetus, ac preſſus, iucundus, & grauis, tum copia, tum breuitate mirabilis. Virgilius in Aeneide feliciter eſt imitatus ſuum exemplar. Proximum huic locum tenent Oſſiani carmina, Miltonis poemata, Taſſi Hieroſolyma liberata, Klopſtokii Meſſias, Gyôngyôſii Chariclia.

Drama gratae cuiuspiam actionis ſpectaculum exhibet; praeſtantiſſima Poeticae pars. Actionem oportet eſſe vnam, locum eundem, & tantum temporis, quanto veroſimile eſt euenisſe omnia, quae ſpectanda proponuntur. Multas alias, & peculiares leges habet, facile offenditur. Si ſuis regulis, & rationi conuenienter inſtituatur, magnopere adiuuat mores hominum, & recte adhibetur. Ludi noſtri Scenici ſunt diuerſi a licentia veterum, idcirco non iure impetuntur. Tragoedia repraeſentat actionem magnam, illuſtrem, & atrocem ad metum, & commiſerationem. Fundamentum actionis ex hiſtoria potius domeſtica, quam aliena, noſtraque potius, quam veteri petendum foret. Quales erant Graecorum Tragoediae, & Chori? quantum Tragoedia debet Aeſchylo, Euripidi, & his magis diuino Sophocli? quis eorum character, & opera? De Tragica Romanorum poeſi ſi ex iis iudicandum ſit, quae Senecae nomen praeferunt, parum poteſt dici ad eorum laudem. Apud

Gal-

Gallos Cornelius, & Racinus Tragoediam extulere; inter Anglos Thomſonus & Shakespearus eminent; apud Germanos Klopſtokius, Weiſſius, Schlegelius — praecipui. Comoedia vitae ciuilis, ac priuatae imaginem exhibet cum iocis, & ſalibus. Comoedia Graecorum alia fuit vetus, alia media, alia noua. Vnum ex iis, quamquam vix quarta ſui parte ſuperſtitem habemus Ariſtophanem, & qualem? In Plauto praecipuae ſunt virtutes verborum vis, & varietas, ſententiarum pondus, decorum, & praecepta ad vitam in hominum conſuetudine agendam. An ridiculo plus iuſto indulſit, vt putidior videri debeat? Terentius excellit arte, decoro & latii ſermonis nitore; ſed vim in illo comicam iure deſideres. Opera eſt drama muſicum autoribus Italis, forum, & theatrum plurium artium; natura ſua multis vitiis eſt expoſita, nulla eſt ſine naeuis; cur tamen delectat, & quem admodum poſſet ſaniori guſtui conformari?

Poeſis Lyrica non tam materia, quam cogitandi, & loquendi modo eminet. Audacia, ſaltus, magnificentia, copia, ſuauitas in verbis, ſententiis, & figuris eam definiunt; eſt maxime Aeſthetica, quia viuacem quemdam animi ſenſum exprimit, quo deficiente ceſſandum ſibi poeta exiſtimet, niſi nouo impetu vel altiut aſſurgat, vel alio rapiatur. Pindarus nouem Lyricorum facile princeps, praeſertim ſublimitate. Anacreon gaudium, & laetitiam

non

non affectatam ſpirat, ſermonem gratiae fecerunt; ſed amores, & conuiuia eius ſobrius guſtus non probat. Horatius Pindarum imitatus eſt, hunc Sarbieuius. Hebraeorum poeſis Lyrica ſicut excellit argumenti dignitate, ita etiam ſublimitate; hoc maxime Dauidis pſalterio docemur, quo nihil eſt diuinius: Dauid Simonides noſter, Pindarus, Alcaeus, Flaccus quoque. Cauſſa eſt diuerſitas & materiae, & ſpiritus. In Germania multi ſunt ſublimi, & amaena lyra.

Poeſis Didactica veritatem proponit, & ornat. Talis in Heſiodo oſtenditur. Saepe tamen veritatem coniungit cum fictione. Species huius poeticae alia eſt Hiſtorica, vt Lucani Pharſalia, Silii Bellum Punicum, Ouidii Faſti; alia Philoſophica, vti Lucretius de natura rerum, Arati Phaenomena, Manilii Aſtronomicon; alia denique Praeceptiua, vt Virgilii Georgica, Horatii, & Vidae ars poetica, Oppiani Halieutica, & Cynegeticon, aliorumque multorum. Poeta duo hic munia obit, alterum doctoris, alterum poetae. Quod docet, ſcrutari penitus, ac noſſe debet; tum non tantum eloquutione pura, nitida, eleganti, & ſplendida, ſed imaginibus quoque, fictionibus, & epiſodiis uti. Satyra mordax, & ſalſum carmen carpendis hominum vitiis, & emendandis moribus inſtituta tota Romanorum eſt. Vna eſt acris, & aperta, quae Lucilio, & Juuenali placuit; alia placida, & ſalſa, quam

Ho-

Horatius, neque malitioſus, neque miſanthropicus, ſed amicus pulchri, & boni ſpiritus, tenet. Ridiculum acri fortius, & melius magnas plerumque ſecat res. Flaccus noſter Muſam hic vult eſſe pedeſtrem. Juuenalis, & huius aetatis Satyrici minus placerent, niſi dictione poetica, & numeroſa ornarent dicacitatem ſatyricam. Qui facit Satyram, ſit ſine crimine, vitia nec nimis aperte explicet, nec turpia ſcurriliter ingerat. Petulantia legum ſeueritate coercenda foret. Ludentis Satyrae admiranda monumenta dederunt Swiftius, Butlerus, Ceruantes, Liskouius, Rabener, & alii, quibus Satyra Varroniana placuit.

ELOQVENTIA.

Ars Oratoria id agit, vt hominem dotibus naturae liberaliter inſtructum, & iam in aliis ſcientiis probe verſatum doceat proprie, ac fortiter cogitare, mentemque ſuam in publicis, priuatisque negotiis, ſiue ſcripto ſit agendum, ſiue voce, ornata, & virili quadam, aptaque ad faciendam fidem eloquentia proponere. Hoc non tam praeceptorum, quae audimus, magiſterio, quam eorum, quos videmus praeſtantiſſimorum omnis aetatis oratorum exemplo, propriaque experientia, & prudentia diſcimus.

Pri-

Primum oratoris officium eſt argumenta, & materiam comparare. Concepta materia redigitur in eum ordinem, quem prudentia praeſcribit, & proponitur per eloquutionem cuilibet idiomati propriam; hic ſermo eſt, & oratio. Iudicium, cognitio morum, & affectuum tractatio magnopere neceſſaria ſunt oratori. Paedanticum docendi, diſcendique genus non ſequimur; praecepta non faciunt Oratorem.

Tota Oratoria ars tendit in vſum noſtrorum temporum, & negotiorum, quem nos in Academicum, Ciuilem, Aulicum, & Communem diſtinguimus. Vſus eloquentiae in Academiis multus eſt, ſiue cum faciendae ſunt illae ſcribendi, dicendique exercitationes, quibus occupamur, & in futura vitae negotia praeparamur; Declamationes dicit Quintilianus: ſiue quum exactis feriis in generali ſtudiorum inſtauratione, vel in principio nouarum praelectionum, aut diſputationibus publicis, aliisque litterariis actibus ſermone concepto praeludendum eſt. In collegiis quotidianis, in conſeſſu Senatus, & Magiſtratus Academici, in ſolenni Doctorum inauguratione, in dedicatione librorum, & praefationibus, in orationibus illis, quas temporum quorumdam feſtiuitas poſtulat, quem dicendi modum tenere debeamus, docemur.

Elo-

Eloquentia Ciuilis ad cauſſas tractandas adhibetur in Curiis, & foro iudiciali. Negotiorum, quae in deliberationem aſſumuntur, haec capita ponit Ariſtoteles: Vectigalia, & reditus; bellum, pax & federa; Cuſtodia regionis, nempe praeſidia, munitionesque limitum, & annona; Commercia, & Legum latio. His de cauſſis fit in curiis Relatio, quae vel eſt ſimplex, vel cum voto, vel ex actis, habitisque iudiciis extracta, & ex Protocollo compendiarie appoſita. Quid Regeſtum, Repraeſentatio, Libellus ſuplex? quis vſus Eloquentiae, dum ad munia ſacra vel profana liberis votis, & ſuffragiis eliguntur perſonae dignae; aut cum creatur, & inſtituitur magiſtratus aliquis, praeſes, aut membrum Senatus, Iudicii, Curiae, aut Collegii publici? Qualis item Eloquentia in Comitiis prouinciarum ſingularium, & Regni noſtri? aut cum ſacramentum fidelitatis nouo principi praeſtatur? Haec polixius perſequimur. Forenſis, ſeu Iudicialis Eloquentia in Accuſatione, & Defenſione verſatur; vtraque alias ſub ſe ſpecies habet; nam ad Accuſationem pertinet Querela, Exprobratio, Expoſtulatio, Inuectio, Obiurgatio, & Comminatio; ad Defenſionem Purgatio, Apologia, Deprecatio. Ex Accuſatione, & Defenſione ſequitur Sententia Iudicum. Vt cauſſae forenſes diſerte tractentur, non ſatis eſt habere cognitionem Iurium; haec enim ad aequitatem, & iuſtitiam eſt neceſſaria, Oratorem, qualem eſſe volumus, non

efficit. Ille demum, & ſibi & cauſſis, & reipublicae optime conſulit, vereque Politicus haberi debet, qui Iurisprudentiam cum Eloquentia coniungit.

Eloquentia ideo etiam aeſtimanda eſt, quod iis proxime ſeruiat, quibus ſeruire felicitas eſt, Principibus. Vt enim multa, & magna ſunt in Aulis negotia, ita miniſterio Artis Oratoriae pertractari debent, non quidem amplo, ſed graui, & nobili genere dicendi, quod paucis multa ſignificet, & non tam verbis, quam rebus dignitatem praeſeferat. Eloquentia Aulica vſurpatur praecipue in ſermonibus, qui fiunt ad Principes, a Principibus, & nomine Principum. Ad Principem acceditur, vel ſalutationis, & gratulationis, vel doloris conteſtandi cauſſa; vel vt ad capeſſendam coronam, aut regenda comitia inuitetur, vel vt alia quaepiam gratia petatur. Alio ſermone accipiendus eſt, cum ipſe accedit luſtraturus vrbem, Regnum, aut Comitiis interfuturus. Legati Principum propriam ſibi habent Eloquentiam ſiue cum primam ineunt audientiam, ſiue cum valedicunt, ſiue dum grauiora negotia tractant voce, vel porrectis memorialibus. Ad Eloquentiam Aulicam reuocamus Reſcripta Principum, Reſolutiones, Decreta, Notas, Manifeſta, Patentes, Edicta, & alia huius generis.

Ad

Ad praxim Eloquentiae Communem referimus ea ſermonum genera, quae extra Academias, Curias, Forum, & Aulas inſtituuntur. Horum alii ſunt Panegyrici, alii Natalitii, Nuptiales, Euchariſtici, Gratulatorii, Funebres, Valedictorii, & alia omnium ordinum priuata, & publica, noſtrorum, & priorum temporum argumenta; quorum artificia, exempla, & critice vberius proponitur. In ſumma, Eloquentia ſuum regnum finibus circumſcribi non patitur, ad vniuerſas res ſe ſe extendit.

PICTVRA, ET CHALCOGRAPHIA.

Pictura cum Poeſi tam arctam habet cognationem, vt altera ex altera, mutatis nominibus, poſſit intelligi. Idem ſpiritus eſt vtrobique creator; guſtus idem, qui Poetam, dirigit pictorem; eadem artis vtriusque natura, & finis; Pictura eſt poeſis tacens.

Princeps Pictoris labor eſt rem conceptam delineare, certoque ſpatio, ac limitibus circumſcribere. Alter rei deſignatae lumen, & vmbram addere; tertius colores apte inducere. His partibus abſolvitur opus.

Quot partes Pictoriae, tot ſunt claſſes Pictorum; non omnes eodem modo nouerunt

& delineare, & adumbrare, & colorare; imo forte nemo adhuc haec pictoris officia pari excellentia praeſtitit. Itali potiores ſunt in Graphice, ſeu pictura lineari; Germani in coloribus. Fere regionibus, & locis, vt olim, picturae ingenium diſcretum eſt.

Picturam diſtinguimus in Veterem, & Nouam. Graeci principio artis ſingulas imagines ſingulis coloribus pinxerunt, inde μονοχρωματα dictae; paullatim variare colores, iisque ſplendorem, ac hilaritatem dare didicerunt. Quae fuerit totius artis progreſſio, qui celebriores in ea, & id genus alia ex Plinio diſcimus. Apelles picturam ad ſumum euexit; poſt illum ſenſim cepit deficere. Romani, praeſertim eorum Caeſares, nequidquam laborarunt in ea ſuſtentanda. Optima Graecorum opera periere. Herculanenſia, & quae Romae ſeruantur, aut ex ruinis eruuntur, fere omnia ſunt eius aetatis, qua cepit ars mori, aut iam fuit emortua. Hanc iterum, vel ad vitam, vel ad ſaniorem Guſtum reuocarunt Leonardus da Vinci, & Michael Angelus Buonarota circa ſeculum XV; ab his erecta fuit Schola Florentina, & poſt hanc ab aliis Romana, Longobardica, Bononienſis, Veneta, Germanica, Belgica. Quaelibet propriis quibusdam dotibus, & magiſtris gloriatur. Gallica non videtur habere characterem proprium; Anglica omnium minime fecunda.

Pi-

Picturarum magna est diuersitas; alia est parietaria, alia in Tabulis, vel Vitro; alia fit coloribus aqueis, alia oleaginis; alia punctata, quam Miniaturam dicimus, alia Encaustica. Labor Musaicus tanto melior, quanto magis accedit ad Picturam. Horum, & similium notitia particularis necessaria est Aesthetico ad Gustum. Hic ingenia, & manus artificum spectantur.

Chalcographia veteribus ignota picturam imitatur. Triplex illa est. Ortum suum debet Germaniae, maiorem perfectionis gradum Belgio. Gallia praestantissimos habet magistros. Sed tamen nomina eorum neminem debent inducere in errorem. Raritas prototypi internum operi pretium non addit. Apographum ab exemplari probe discernendum est. Optima etiam exempla possunt dare vitiosum ectypon.

Imaginum vis maior est in animos, quam vel Poeseos, vel Eloquentiae. Pictura, & Chalcographia Religioni, & bonis moribus seruire debet. Iuste damnantur colores, & aera, si id referant, quod intueri non licet.

STATVARIA, ET PLASTICE.

Pictura noua veterem superare videtur, sed Statuaria nostra hactenus non est assequu-

quuta antiquam. Ab arte hac celebrantur Aegyptii, Hetruſci, & Graeci. Poſtremi principatum ſunt adepti. Statuariam eorum Winkelmannus diſcernit in quatuor aetates. Prima illa rudior durauit ad Phidiam. Altera ab hoc vſque ad Alexandrum M. Tertia ad initium Caeſarum. Vltima horum tempora complectitur.

Primae aetatis reliquiae admodum paucae verae feruntur. Artifices poſt Daedalum ſunt Smilis, & alii quorum nomina, & memoriam ſeruauit Pauſanias, & Plinius. Fuere etiam Scholae artificum, quarum celeberrima fuit Sicyonia; tum Corinthiaca, & Aeginetica; cuique ſua manus, & methodus fuit. Phidias erat auctor ſecundae aetatis, & formae, quae propius ad veritatem naturae acceſſit, emolliuitque habitus, & actiones corporum, ſed ita, vt ſeueritas artis, maxime in proportionibus, magis ſeruaretur, expetereturque, quam quod oculos lenitate ſua, & ſenſibiliori pulchritudine caperet. Durities quaedam notatur in operibus. Canachus, Calamis, Myron, Scopas, Alcamenes - - laudantur. Polycleti ſignum fuit inſtar regulae, a quo normam artis petebant diſcentes. Character aetatis tertiae eſt pulchritudo, & gratia, quae oritur tum ex imitatione venuſtatis naturalis in toto corpore, tum ex varietate oris, & decoro actionum. Primus hanc dotem dedit Statuariae Praxiteles, Lyſippus ad ſumum perduxit.

xit. Ex hac aetate plura opera ſupereſſe creduntur. Sed in iudicio diſſentiunt etiam periti talium operum ſpectatores, interdumque per ambitum intelligendi aetas operum dubia redditur; nam his quoque in rebus ſcepticiſmus quidam eſt. Inſignes huius aetatis artifices, eorumque opera Plinius narrat. Poſt eos variam haec ars fortunam habuit. Artifices non tam ingenio, quam imitatione veterum, nec eiusdem generis, valuerunt. Dum nimium diligentes ſunt in minutis elaborandis, & ornandis, veram perfectionem, & pulchritudinem amittunt. Bella, corruptio Scientiarum, & Guſtus hanc etiam artem peſſumdedit. Romani, praeter Caeſarum quorumdam, & primorum fauorem parum ſunt meriti de Statuaria; cum Graecis fere oppreſſa eſt.

Reliquiae celeberrimae huius artis ſunt Romae, Florentiae, Portici ad Neapolim ex ruinis Herculani, Pompeiani, & Stabiarum; Catanae, Dresdae. Plurimae Statuae tardius ſunt erutae. Quis vſus horum operum antiquis? quae vtilitas horum operum cognoſcendorum?

Ars reſuſcitata eſt in Italia. Ex cognitione antiquitatis ſenſim aliqui ad ſtylum veterem acceſſere. Eorum tamen operibus ſaepe deeſt gratia. Ie Germania lentius proceſſum eſt defectu exemplorum. Dürerus fecit initium, & poſt eum multi feliciter progreſſi ſunt in Pa-

tria, & Petropoli. In Gallia non pridem ſuum caput altius extulit Statuaria.

Huc referenda eſt etiam Caelatura, & Glyptice, ſeu Scalptura gemmarum, lapidum; quo in genere tria ſpectantur: lapillus ipſe, artificium, & ingenium, denique argumentum ſcalpturae. Vt quis bonum in Statuaria ſenſum habeat, optima omnis aetatis exempla, eaque non pauca videre, & expendere debet.

Plaſtice molliorem materiam tractat, mater Statuariae, Caelaturae, & Scalpturae. Ex argilla, creta, gypſo, & cera fingit, quae vult; metalla fundit in ſtatuas. Harum porro varia ſunt genera a varietate magnitudinis, & habitus. Artificii & forma, & viciſſitudo eadem, quae lapideis, fuit, iidemque ſaepe in eodem genere magiſtri. Reliquiae ſtatuarum aenearum maiorum non nimis multae ſunt; augetur autem ex cauernis Herculani. Minorum ſignorum copia maior eſt. Ars Fuſoria nunc magis in clareſcit.

ARCHITECTVRA.

Architectura producta fuit ad neceſſitatem; ſenſim capit adhiberi ad Vtilitatem, & Commoditatem; tandem verſa etiam eſt ad Venuſtatem. Haec ſunt capita hodierae Architecturae. Bonus Guſtus circa vnam Venuſta-

tem

tem verſatur; hic eſt Architectura Aeſthetica. Ad Venuſtatem plurimum confert Eurythmia, ſive quidam ordo partium, qui ſit conueniens loco, fini, & tempori; deinde Symmetria, ſeu partium ſimilitudo, aut conſentiens proportio. Nulla eſt aedificii pars, de qua ſanus Guſtus non iudicet. An recte Aegytii, & alii ſequebantur in Architectura ſimplicitatem, & eam magnitudinis admirationem, quae ex Pyramidibus, Obeliſcis, & Labyrinthis patet? Graecia melius coniunxit ſimplicitatem cum gratia. Vetus Roma eſt vera lex, & norma pulchre, & magnifice aedificandi.

Inter ornamenta primum locum obtinent columnae, vt vetus, ita princeps aedificiorum venuſtas. Pulcherrima haec artis pars haeſit aliquamdiu ruinis conſepulta Gothorum barbarie; reſtituta eſt labore, & induſtria Italorum, praeſertim Barozzii de Vignola. Columnis, & aliis aedis partibus apponi poſſunt ornamenta varia, quae vel finem aedificii per ſymbolum indicent, vt laurus Aulam Academicam, arma armamentarium; vel duntaxat ad arbitrium ſint accepta, vti folia, flores, fructus, Atlantes, Caryatides, Ancones, & ſimilia. Aeſthetica poteſt vbique locum habere; peruagatur omnia, verſatur circa marmor, aliosque lapides, circa ligna, metalla, & totum artificium; in ſubſidium vocat Plaſticem, Caelaturam, Statuariam, Pictoriam; & licet delicata ſit, artifices tamen, vt excurrant libe-

berius, permittit ſuo genio, modo non excedant leges Symmetriae, quas Matheſis ex ſuo tribunali dictat; vt videre eſt in aedificiis nouioris guſtus, vbi ornamentorum varietas ſpectatores mirifice delectat. Cetera, quae huc pertinent, relinquuntur artis ſtudioſis cognoſcenda.

MVSICE, ET ARS SALTANDI.

Natura ad Numeros ducimur. Numeros Muſice habet duplices, in Vocibus, & in Corpore; vtriusque enim rei aptus quidam modus deſideratur. Fines olim ampliores habuit; complectebatur enim Cantum, Saltum, Verſum, & Pronunciationem Oratoriam, eratque Ars decoris in vocibus, & motibus. Hodie in modulatione vocis & viuae, & organorum conſiſtit; modus autem in geſtu, & motu dicitur *Ars Saltandi.* Reapſe illa eſt Muſica viua, & vocalis, hæc vero Muta, Pantomima.

Vtriusque natura diſcenda eſt ex natura Tonorum, Geſtuum, & Motuum; qui cum ad corda hominum manifeſtanda ſint nati, praecipua vniuerſae Muſicae obiecta ſunt Affectus animi, debetque tam vocalis, quam muta Muſica, ſiue Saltatio certum quendam ſenſum, & ſignificationem habere, iisdemque cum ſermo-

mone Poetico, & Oratorio proprietatibus inſtrui: Generalis haec eſt, vt omnis Tonus, & Geſtus rei, quae debet exprimi, proprie conueniat; in ſpecie autem vt expreſſio, & repraeſentatio ſit perſpicua, materiae attemperata, viuax, nonnunquam delicata, & tenera, ſimplex, facilis, ac denique noua, praeſertim in Muſica ſonora; quia iudicium aurium eſt ſuperbiſſimum.

His vtriusque Muſices virtutibus naturalibus alias ſuperaddit Ars, quae omnia definit per Tactum, Motum, Melodiam, & Harmoniam. Leges iſtae quamvis ſint ſeuerae, naturalem tamen ſignificationem Tonorum in Muſica, Geſtuum, & motuum in Saltatoria non tantum non deſtruunt, vel mutant, ſed potius fortiorem, ac venuſtiorem faciunt, dum ſuas illis gratias impertiunt. Muſica, & Saltatio ſuis inſtructa dotibus diſertius loquitur, quam vel Poeſis, vel Eloquentia.

Ars Muſica prae Saltatoria magnam in corda hominum virtutem habet; huius, & illius bonus vſus ſi ſit, non paucas in communi etiam vitae ſocietate vtilitates praeſtat. Itali his in Artibus dicunt ſe eſſe magiſtros. Artem ſaltandi hac aetate ad ſumam perfectionem evehit Nouerre; apud eum Spectatores & mutum Saltatorem intelligunt, & nihil loquentem audiunt.

HOR-

HORTI CVLTVRA.

Horti Cultura exercetur vel eduliorum cauſſa in olitorio, & pomario; vel propter delicias in viridario, & topiario; vel denique & voluptatis, & vtilitatis gratia. Hortus Alcinoi, quem Homerus fecit, vtrumque ſpectaſſe videtur, quamuis neutrum ſatis praeſtiterit. Nos hic ſolam in Horto delectationem curamus; iam etiam per excellentiam Horti nomine deliciarum locus intelligitur.

Horti igitur Aeſthetici finis eſt, vt delectet. Delectatio illa conſiſtit in grato, & illecebroſo ſenſu magnitudinis, coloris, amaenitatit, admirationis, ſtuporis &c. Iſtae animi affectiones oriuntur ex multiplici rerum Varietate; Varietatem faciunt planities, tumuli, colles, arbores ordinatae, & in ſiluam temere creſcentes, herbae, flores, areae, tori, riui, ſemitae, & ſimilia. Hortus debet eſſe inſtar theatri, & ſcenas diuerſas aperire.

Sed varietas non ſit nimia; decor arte anxia non quaeritur. Errant, qui eundem in Hortum conferunt omnia, quae excogitari poſſunt, ornamenta, arcus triumphales, & teſtudines perplexo, atque camerato topiario conueſtitas, areas maeandris, & diuerticulis prope infinitis inſtructas, fontes ſalientes, aquarum lapſus, lacus, inſulas, ſtellas, aedificia Sinica, pyramides, obeliſcos, templa, ruinas anti-

antiqūitatem ſpirantes, varias hominum, animantiumque figuras partim ex ramis plectilibus, partim lapide ſtructas, & neſcio quae alia. Decorationes accumulatae, & ſuperuacuae, rem principalem imminuunt, oculos, & mentem conturbant; nec naturalis eſt Hortus, nec eam, quam deberet, impreſſionem facit in animum. Ars Hortenſis naturam adiuuet, & condecoret, vt Hortus & Natura, & Arte blandiatur, delectetque. Quod fit, ſi Varietas in vnitatem, & ſimplicitatem pulchro artificio componatur. Labyrinthum in Horto non probamus. Plura alia vitia ſunt, quae malus Guſtus pro decore ſtatuit.

Horti ſi venerum, & gratiarum ſedes eſſe debent, ſic inſtruantur, vt ex omni parte noua delectationis ſeges occurrat, ſenſusque omnes liquidiſſima voluptate perfundat. Aliae artes amaeniores poſſunt venire in abuſum, & malitiam; Horti puriſſimam voluptatem pariunt. Oculos paſcit diſcolor amaenitas, nares odorum ſuauitas excitat; aures aquarum belle cadentium admurmuratio, vel aurae ſuſurrus frondibus ad numerum adſilientibus inuolutus, & auium certantium conuitia recreant; guſtatum fructus prouocant, tactum, & corpus molles, ac reſupini tori reficiunt; mentem ars, ingenium, & natura oblectat; denique Hortus Aeſtheticus totum hominem tenet in gaudio, eique nouam quamdam vitam innocenter inſpirat.

Qui

Qui ſint venuſtiſſimi huius aetatis Horti, non ſatis conuenit. Italia multis ornatur; Verſalienſis magnificus, ſed vitioſus. Sinenſium Guſtum commendat Home. Olim Horti penſiles erant inter miracula; ſed magis propter artificium, & laboris improbitatem, quam ob elegantiam. Horti Heſperidum ita fuere celebrati, vt iis propter venuſtatem fructus aurei fuerint afficti.